



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Responsa Moralia In Causis Justitiæ Commutativæ De Restitutione & Contractibus

De Contractibus - Præcipuè ad commodum, atque usum Venerabilis Cleri
edita

Heislinger, Anton

Ingolstadij, 1726

Casus XXIII. De alienatis ab uno ædibus pro indiviso cum alia possessis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40177


§. III.

Resolvitur tertium Quæsitum.

An ex nullo alio titulo retinere hanc partem lucri Sempronius possit?

- 17 **R**espondeo : si societas nullo ex metu compulsã in hoc pacto cum Sempronio ultrò consenserat, posse illam portionem ab hoc retineri ex titulo donationis. Ratio est, quòd absente metu præsumere possit, cætera societatis membra eam portionem Sempronio donare, eo ipso, quòd ultrò illam persolvant, licet sciant, nullum ex hac papyracea obliga-

tione lucrum in societatem pro illo anno redundare, ut scilicet hoc favore sibi affectum Sempronium efficiant, quem sciverunt sibi, & nocere & prodesse in suo officio posse. Dixi tamen si nullo metu compulsi consortes in hoc consenserint : metus enim tollit voluntarium, vel saltem minuit.



CASUS XXIII.

De alienatis ab uno ædibus pro indiviso cum alia possessis.

Martino, & Annæ germanis liberis ex hæreditate paterna obvenerat inter alia, & quidem pro indiviso defuncti parentis domus, post aliquot tempus Maritus hæredis Annæ, quia volebat diutiùs in communiõne harum ædium persistere cum defuncti Martini uxore ac relicta filia, suum ad prædictas ædes jus venditione aut permutatione invitâ & reclamante uxore defuncti Martini in alium transferre statuit.

Q. 3

Q. 1.

Q. 1. Utrum invito altero condomino Maritus Annæ potuerit validè alienare suum in has ædes cum alia commune jus.

Q. 2. An jus retractûs gentilitium locum habeat in venditione?

Q. 3. An matri viduæ competat jus retractûs in ædes, extraneo venditas ex titulo communionis?

Q. 4. An hoc jus etiam procedat in permutatione?

SYNOPSIS.

§. I.

Resolvitur primum Quæsitum.

Utrum maritus Annæ potuerit validè alienare &c.

- | | |
|--|---|
| 1. Quid sit aliquam rem pro indiviso à pluribus haberi. | dere, vel cogere, ut sibi vendat, vel à se emat? |
| 2. Modus, quo duo pro indiviso obtinent tale jus, est varius. | 5. Quid de hoc decernant Lex 34. §. 2. Cod. de donat. & Lex ultima Cod. de commun. divid. |
| 3. Que Lege 34. §. 2. Cod. de donat. de eadem re duobus donata habeantur, innuitur. | 6. Ejusmodi communis duobus rei venditio probabilis non valet invito consorte facta. |
| 4. Num unus horum non amplius volens manere in communione cum altero suum jus possit tertio ven- | 7. Satisfit rationi contraria. |

§. II.

Resolvitur secundum Quæsitum.

An jus retractûs gentilitium locum habeat in venditione?

- | | |
|---|--|
| 8. Nomen hoc retractus derivatur à verbo retraho. | 11. Alius retractus est gentilitius, seu consanguinitatis, alius communionis seu Societatis. |
| 9. Quid sit retractus, explicatur. | 12. Vi Juris communis sola bona im- |
| 10. Est triplex. | |

- immobilia, & successione hereditaria acquisita retractui sunt subiecta.
13. Jus retractus in hac aede nequaquam competit uxori defuncti heredis Martini.
14. Bene autem relictis liberis etiam feminis,
15. Ut tamen hoc jus suae Matri cedere nequeant.
16. Licet illam heredem instituisent, vel alium extraneum.
17. Nec potuit Mater pro suis filiabus retrahere, absque speciali harum mandato aut subsecuta ratiabitione.

§. III.

Resolvitur tertium Quæsitum.

An Matri viduae jus retractus in aede extraneo venditas competat?

18. Natura retractus communionis, seu Societatis.
19. Et quandonam ei locus sit explicatur.
20. Matri, solum ut Domina edium in hoc casu retractus competit.
21. Si Domina non fuerat in indivisum, filiae, atque ex hujus solum mandato Matri compete-
bat.
22. Nemo quidem potest alteri retrahere proprio nomine, alieno tamen, & in commodum alterius.

§. IV.

Resolvitur quartum Quæsitum.

An hoc ipsum Jus retractus etiam locum habeat in permutationibus?

23. 24. 25. 26. 27. Afferuntur rationes sententiae affirmativae faventes,
28. Et statuitur totam hanc litem decidendam ex consuetudine in privatis quibuslibet locis vigente.

§. I.

Resolvitur primum Quæsitum.

*Utrum invito altero condomino Maritus Anne potuerit
validè alienare suum in has ades cum alia commu-
ne jus ?*

1 Nota 1. ædes vel quamcun-
que aliam rem pro indiviso
haberi, quando tota ad omnes per-
tinet, ita ut pars una non magis
ad unum, quàm ad alterum spectet.

2 Nota 2. Modum, quo talis res
duobus vel pluribus pro indiviso
obvenerat, posse fuisse varium :
scilicet donatione, emptione aut
hæreditate.

3 Nota 3. *Lege 34. §. 2. Cod. de
donat.* dici. Si duobus eadem
res donata sit v. g. fundus, ita
ut unus habeat plus, puta duas
partes, alter tantum unam & in-
ter eos incidat contentio, ut non
amplius placeat in communione
manere, fas esse illi, qui habet
duas partes, totum sibi vendicare,
oblato pretio pro parte illa mino-
re, quam sibi vendicat. *Er möge
den anderen auflösen* : quod si
facere nolit, divisionem esse fa-
ciendam, quæ si fieri absque rei
periculo non possit, in arbitrio esse
illius, qui minus habet, redime-
re oblato pretio majorem partem.

4 Nota 4. Controversiam modò
in eo esse positam, Si eadem
res indivisa, seu tota & totaliter

quoad omnes partes ad duos per-
tineat pro indiviso, ita ut nulla de-
terminata pars spectet ad hunc,
& nulla alia ad alterum, sed quæ
ad hunc partes spectant, etiam
spectant ad alterum, an inquam
in hoc casu, si unus illorum non
amplius vellet in communione
hujus boni manere, possit altero
invito vel non requisito suum jus
ad tale commune bonum alij ex-
traneo vendere? Item si suo con-
domino pretium pro suo jure ob-
tulerit, hic autem istud accipere
recusaverit, recusans obligari pos-
sit ad sibi vendicandum totum jus
per soluto justo & jus alterius a-
dæquante pretio.

Licentiam hujus alienationis
videtur evincere adducta *Lex 34.
§. 2. Cod. de don. item lex ultimas
Cod. comm. divid. ait nam in com-
muni vel societate nemo compelli-
tur invito detineri.* Verùm quod
Legem 34. citatam concernit, dat
hæc illi tantummodo licentiam
partem suam vendendi alteri con-
sorti ejusdem rei quoad aliam par-
tem : nullibi tamen ibidem dicitur,

tur, quod etiam in extraneum illud jus alienare valeat.

Secundò Lex illa loquitur de re, cujus aliqua vel aliquot partes spectant ad unum, alia verò pars ejusdem rei spectat ad alterum. In præsentia autem casu idem totum quoad omnes partes pro indiviso spectat ad singulos, quod utique est aliquid à priori diversum.

Tertiò allata Lex 34. loquitur duntaxat de re donata, non autem univèrsaliter de rebus alio quodam modo obtentis, hæreditate, emptione &c. scio quidem nonnullos apud Brunneum in cit. Legem 34. n. 23. quibus favere videtur Struvius exorci. 24. Tb. 7. dispositionem citatæ de donatione legis extendere ad quascunque res alijs titulis obtentas, verum & isti duntaxat asserunt, quod plures socij, si in commune non amplius velint vivere, & res incommodè dividatur, alter ad suam partem vendendam, & alter ad emendam teneantur, nihil autem decernunt circa id, an licitè & validè externo & non socio vendatur invito consorti. Hinc.

- 6 Dico. probabiliùs non subsistere talis rei alienationem invito consorti in extraneum factam. ita Sichard. in Legem 34. §. 2. de donat. n. 7. Ratio est, dispositio citatæ Legis 34. non loquitur de alienatione facta in extraneum.
2. Est specialis concernens solas

res donatione acquisitas: ergo ad acquisita ex alio titulo non est extendenda, probatur consequentia. considerato jure communi, qui habent rem communem, licet pro disparibus portionibus, non habent illud jus offerendi, sed quilibet retinet suam partem, ita ut alter sine consensu alterius in re communi nihil possit facere, per vulgatam regulam, qua dicitur; in re communi potiore esse conditionem prohibentis, id est, plus operari in re communi prohibitionem unius ex socijs, quàm alterius jussionem & mandatum in re communi aliquid attentantis. L. fabius ff. comm. divid. & Lege penult. s. comm. divid. & in reg. 28. ff. communi divid. dicitur. in re communi neminem Dominorum jure facere quicquam invito altero posse. Ita sentit Sichardus loco citato, cui suffragatur Melchior Friderich de vendit. p. 2. art. 1. n. 114.

Dices: vi Legis ultime Cod. 7 comm. divid. in communione vel societate nemo compellitur invitus detineri: ergo potest suum jus alteri etiam externo concedere. R. transmissio antecedente, nego consequentiam. potest enim se liberare hac communione, si comparti emendum suum jus offerat, vel ab hac jus, quod ei competit, emat.

Dices: poteritne altera pars invita ad emendum vel vendendum suum jus obligari? Item

Rr

po-

potest esse, ut unus ex duobus talibus socijs bene videat, quod alter suus confors careat medijs ad suum jus à se emendum & hinc offerendo eidem facultatem à se emendi vel accipiendi pretium pro suo jure pauperiorem invitum deturbabit ex sua possessione ac jure. & in tali casu videri rem ad arbitrum vel ad judicem defendendam esse, ut isti consideratis utriusque partis rationibus, quod æquum justumve est, decident.

Dices 2. Communio est Mater discordiarum vi Legis 77. §. 20. & Lege 2. insuper Reipublicæ interest, ne inter subditos discordiæ seminentur: ergo utilitas publica exigit, ut talis venditio non sit invalida, vel illicita.

Ex tali communione negligens administratio inducitur. probatur

vi Legis 2. in princ. Cod. quando & quibus quarta pars &c. Habetur: naturale vitium esse negligi quod communiter possidetur.

Lex 14. §. 2. ff. commun. divid. asserit non posse prohiberi inter vivos, ne omnino fiat divisio communionis.

Item vi Legis 20. ff. pro socio nulla societas in æternum cõiti potest.

Ad has rationes responderi potest, illas probare, quòd nullus obligetur ad hoc, ut perpetuo eandem rem pro indiviso cum alio suo socio habeat, minime autem evincunt, quòd alteri extraneo vendere possit invito socio communionis: modò igitur talis possit vendere suo socio jam obtinetur finis harum legum,

§. II.

Resolvitur secundum Quæsitum?

An jus retractus gentilitium locum habeat in venditione?

8 **Not. 1.** Nomen hoc retractus derivari à verbo retrahere seu retrahendo ac revocando, in quantum scilicet aliquibus competit jus alienata bona à legitimis eorum jam Dominis & possessoribus revocandi ac retrahendi.

9 **Not. 2.** Retractum taliter acceptum definirì comodè, dicendo illum esse jus vi legis, statuti aut

consuetudinis alicui competens ad rem ab alio alienatam, retulo ipsius Domino & possessori pretio sibi vendicandam, in idem recidit. si dicas cum alijs, quòd sit redemptio rei vendite eodem oblato pretio, jure sibi à Lege vel consuetudine vel vi pacti concessio. Germanis dicitur, *Retract*: *Näher = Geltung.* *Einstand = Recht / Abtrieb.*

Not.

10 Not. 3. Ex hoc conceptu colligi jus retractus esse triplex ratione originis, ex qua confurgit; legale scilicet, si ex legibus profluat, statutarium, si vi statuti specialis cujusdam loci obtentum, ac denique consuetudinarium si legitima consuetudine fuerit introductum.

11 Not. 4. Aliam divisionem retractus fieri in retractum communione, seu societatis, & in retractum gentilitium, seu consanguinitatis, ille convenit ijs, qui in eadem re jus & dominium indivisum habent: iste consanguineis & sanguine junctis. vi illius, dum unus illorum, qui indivisum cum altero dominium in certam rem habet, suam partem extraneo vendidit, alter oblato eodem pretio eam retrahere possit: vi hujus, id est gentilitij, seu consanguinitatis, proximi consanguinei rem extra familiam ab aliquo consanguineorum alienatam ex titulo consanguinitatis pretio oblato intra tempora constituta legitime retrahere & ad se revocare possunt. Jus istud vocatur gentilitium seu consanguinitatis, legitimum & lineare.

12 Not. 5. Ut res ex jure gentilitio retrahi possint communi & ordinario jure debere illa esse immobilia, & successione hereditaria acquisita: Ratio est, quod consanguineis hoc jus concessum à Legibus statuto, aut consuetudine, ut Majorum memoria

conservatio & affectio continuarentur, ad quem finem bona mobilia, quæ facile pereunt, non ita apta & habilia videntur. His præmissis.

Dico 1. Relictæ viduæ tanquam uxori defuncti hæredis filij nequaquam competere jus retractus gentilitium in has ædes. Probat. Juxta Gail. l. 2. observat. 19. Mynfinger, cent. 3. observat. 51. n. 5. Leuren, l. 3. tit. 17. q. 323. 31. hoc jus competit omnibus, & solis consanguineis: atqui uxor non annumeratur consanguineis respectu consanguineorum sui mariti: ergo &c. 2. Jus retractus est introductum, ne bona exeant è familia defuncti: sed uxor non est è familia, seu genere defuncti mariti: ergo &c.

Probat. 3. Juxta Gregorium Lopez leg. 56. tit. 5. part. 5. Glossa, Azebedo Lege 7. tit. 11. lib. 5. num. 45. uxor nequaquam retrahere potest rem patrimoniam sui viri ab hoc venditam, eò quod non sit illius consanguinea, licet intimè conjuncta & insuper res talis vendita ad patrimonium uxoris non pertineat: ergo neque à defuncto patre relictam liberis domum uxorio nomine poterit retrahere.

Probat. 4. Jus retractus est odiosa materia: ergo ultra proprietatem verborum, queis designantur personæ, quibus competit, non est extendendum: atqui uxori non competit titulus con-

Rr 2

fan-

fanguineæ respectu viri, aut cæterorum sui viri confanguineorum.

- 14 Dico 2. Ipsi tamen liberis, licet foeminae sint, hoc gentilitium jus in has aedes venditas competere. Ita Tiraquell. *de retract.* l. 1. §. 5. Glossa 9. n. 28. in quantum asserit, & pluribus ostendit retractum esse materiam odiosam, & in materia odiosa masculinum regulariter comprehendere foemininum. Palao *de Just. disp.* 5. pu. 29. §. 3. n. 1. Probatur. Ratio ob quam jus retractus fuerat introductum, erat, ut res patrimoniales apud confanguineos, & familiam conservarentur: atqui etiam hæc ratio procedit apud foeminas.

Eadem conclusio constat ex cap. *constitutus* s. *de in integrum restitutione* item ex *constitut. Frederici Imperatoris. V. si quis. juncta Lege. 5. ff. de V. S. Lege unica Cod. de imponet. lucrat. descriptione Lege ultima Cod. quorum bonorum. Leg. 5. Cod. de legit. hered. Leg. 4. Cod. unde Cogn.*

Dices: retractus quidem concessus fuit, ne res exeat è familia: atqui probari nequit, etiam foeminas contineri sub appellatione familiae ac generis: ergo &c Respondeo, quod etiam foeminae continentur, si materia subiecta non repugnet, haberi ex *Lege ultima Cod. de V. S. Leg. 4. §. 30. Cod. de fideicommissis.*

Dico 3. Relictæ filiae nequaquam hoc sibi competens jus retractus suæ dominæ matri cedere potuerunt; ita ut hæc nomine proprio jus gentilitium retractus postmodum habuerit. Ita Egl. *de vendit. n. 24. P. Friderich n. 991. Schmier de pactis & contract. c. 2. n. 282.* Prob. Jus gentilitium retractus est in favorem personæ concessum: sed hic favor personæ non competit alijs non confanguineis vendenti: ergo &c.

Dico 4. Licet filia ita defunctæ suam dominam Matrem hæredem omnium suorum bonorum, & jurium instituisset, vel alium extraneum, neutrum tamen illorum habiturum fuisse hoc jus. ita cit. pro superiore conclusione, Prob. talis institutio hæredis nequaquam istum efficit confanguineum venditoris: ergo cum solus confanguineus habeat jus hoc, non habebunt tales hæredes non confanguinei. Prob. 2. *Vi Legis cum hæredes. ff. de acquirenda possessione. Legis 1. §. seq. Cod. de hereditar. action.* hæredi solum transmittentur, quæ hæreditaria sunt: atqui hoc jus non est hæreditarium, cum solus confanguineus competat: ergo &c.

Dico 5. Ea ipsa Mater non potuit pro suis filiabus tanquam sibi conjunctis ratione hujus suæ conjunctionis præcisè retrahere, si speciale mandatum non habuerit, vel rati habitio filiarum postmodum non accesserit. Probatur pri-

prima pars. Ad hoc ut aliquis nomine alterius retrahat, requiritur speciale mandatum: at in ijs, quæ speciale mandatum requirunt, vi conjunctionis nihil operantur conjuncti sine speciali mandato, aut ratihabitione superveniente: ergo &c. Major cum communi defenditur à Matien. *Leg. 8. Glossa 14. n. 28.* Azcbedo *n. 18.* Palao *de Just. disp. 5. per. 29. §. 3. n. 21.* Probatum itaque etiam minor ex *Lege Patrim. juncta Lege illud ff. de minoribus.* Sufficere autem etiam ratihabitionem postmodum supervenientem probamus ex *Lege 3. §. si procurator. ff. de acquirenda heredit. hic enim habetur: si hoc ei specialiter mandavi, vel ratum habui. Idem cap. fin. de jurejur. in 6.* tradit etiam *Glossa in Lege Paulus*

aliàs per procuratorem ff. de acquirenda hereditate.

Ut autem hæc superveniens ratihabitione effectum suum fortiatur, concedenda illa erit intra tempus ad instituendam actionem retractus consanguineis concessam. Ita habetur in *Lege fin. ff. rem ratam habere.* Ratio est, qui intentat retractum sine mandato nihil præstat, & tota actio retractus ratihabitioni ut suo unico fundamento innititur: ergo ut valeat talis actio, debet ratihabitione fuisse data, antequam tempus retractus actioni instituendæ concessum finitum fuerit. Quantum autem tempus in Germania, vel Bavaria constitutum juri retractus fuerit, habetur apud P. Schmalzgrueber *tit. de emptione n. 231.*

§. III.

Resolvitur tertium Quæsitum.

An Matri v. duæ competat jus retractus in ades extraneo venditas ex titulo communionis?

18 **U**ltra retractum gentilitium datur etiam retractus communionis seu societatis, cui locus est, quando plures pro indiviso sunt Domini alicujus fundi, aut servitutis. Unus autem illorum suam partem, aut jus extraneo vendit. Tunc enim ceteri socij potestatem habent oblato eodem emptori pretio rem venditam retrahendi.

Ut autem hoc jus alicui competat, debet iste cum vendente in eadem re indivisum jus, & dominium habere. Consequenter ut viduæ Matri jus ex titulo communionis ad retrahendam hanc domum habeat, pro indiviso illius dominium habuisse debuit.

Dico itaque. Si relicta Domina vidua ex hereditate, vel donatione à filiabus facta, aut qua-

Rr 3 cun-

cunque ex alia ratione erat in indivisum Domina cum venditore harum ædium potuisse istam retrahere dato eodem pretio emptori, quo ædes hic sibi comparaverat. Ita Matien Azebedo cum Palao disp. 5. de Just. pu. 29. §. 10. n. 6. habetur in *Lege eos ff. finium regundorum*, & videtur posse colligi ex *Lege: si quis duas §. si quis partem ff. communia prædiorum*. hic enim dicitur, non posse servitutem imponi parti fundi, quam ego alteri tradidi, si fundum totum pro indiviso cum altero possideam: posse autem servitutem ejusmodi parti à me imponi, si fundus in duas partes sit divisus: ergo videtur etiam, non posse vendi domus indivisim cum alia Domina possessa, si hæc non consenserit in istam venditionem; & hinc eidem licitum esse retractum. Ulterius quod cohæres ratione communionis rem hæreditariam communem repetere hoc modo valeat, si reliquis cohæres eam vendat alicui hæreditatis exorti. Habetur ex *Lege sancimus 2 §. 24. Cod. de donat. Leg. 12. de evict. Lege 38. de donat. inter virum & uxorem*. Licet autem modò citatæ leges de communione inter hæredes solum loquantur illarum

tamen dispositionem Zœsius ad *Pandectaram lib. 18. tit. 3. de retract. num. 36.* & *Struvius syntag. Jur. Exer. 24. tb. 54.* alijque extendunt ad quosvis, qui cum altero communem, & indivisim possessionem, aut dominium habent. His consentit Palao de *Just. commut. disp. 5. pu. 25. §. 10. n. 1.* in casu, quando tales in eadem indivisum jus habent, quando habere dicuntur, tamen ex pacto jam cuilibet certa pars sit determinata, dummodo adhuc realia divisio necdum fuerit facta.

Dico 2. Si Domina vidua dominium hoc in indivisum non competebat, sed filix, tunc hæc, vel Domina parens, ex mandato speciali suæ filix poterat retractum facere. Constat conclusio ex dictis

Dices: Juxta commune principium: nemo potest alteri retrahere: ergo &c. *¶* Distinguo antecedens nemo alteri in proprium suum commodum, & nomine proprio potest retrahere. Concedo, in alterius commodum & nomine alieno negatur habetur hoc ultimum in *Reg. qui per alium & Reg. potest quis de Reg. Juris in 6.*

§. IV.

Resolvitur quartum Quæsitum.

An hoc ipsum jus retractus Domine Matri, aut filie illius competat in permutatione harum adium cum alienis facta?

23 Quid in tali permutatione non fuerit locus retractui gentilitio, aut societatis, aut communionis, tenent *Leur: lib. 3. fori Eccles. tit. 17. q. 327. n. 6. Palao disp. 5. puncto. 29. §. 6. n. 9. Matien Le. 7. Glossa 10. per totam Azebedo n. 90.* fundat hoc suum assertum prælaudatus Palao in *Le. 2. tit. 11. lib. 5. nove collect.* decidente in permutatione locum contractui non esse. His Authoribus non immeritò obijci poterit, Leges à Palao citatas vigere tantum in Hispania, pro qua sola sunt latæ: ergo in germania nullam illarum rationem aut reflexionem faciendam.

24 2. Ratio, ob quam in venditione datur consanguineis jus retractus, est, ut bona paterna vel familiz apud familiam remaneant: atqui hæc ratio etiam hebet locum in alienatione ope permutationis.

25 3. Si locus retractui non sit in permutatione, tunc jus & licentia retractus facillè potest eludi, quia poterit permutationem institue-

4. Cum terminus hic *venditio* sumatur subinde latius pro quocunque contractu, ut patet ex §. item pretium 2. *Inst. b. 1. Lege statu liberi 29. ff. de statu liberi: Lege sicut 8. §. 11. ff. quibus modis pign. Lege sciendum 19. §. 5. ff. de editio & genes. c. 25.* Ideo potest dici, quòd hoc nomen venditio latius accipiatur, quando in eadem dicitur esse locus retractui.

5. Sicuti nemo invitus in communionem vel societate detineri compellitur. vi *Legis ultime Cod. comm. dividendo.* Ita ex opposito per consequentiam etiam nemo compelli poterit, ut invitus ineam communionem ac societatem, præsertim cum novus socius plurimas & majores, quam primus molestias creare suo consorti possit v. g. si domum velit inhabitare instructus multo famulitio. Si exerceat professionem multis periculis incendij subjectam, oppiddò incommodam alijs eandem domum incolentibus.

Ut igitur quid in hac re controversa sentiamus, explicemus: dici.

dicimus jus retractus tam gentilitij quam communionis ex nullo Jure communi, sed ex municipali ac consuetudinario dependere: hoc cum pro varietate locorum etiam ipsum sit varium, universale quidpiam & in communi pro omnibus provincijs poterit difficulter decerni. Ex jure communi nihil in hac re statui, ex eo probari potest, quod per *Legem dudum 18. §. de contrab. empt.*: Jus retractus revocatum, nec per constitutionem Friderici Imperatoris restauratum sit, eo quod ista inter Leges Romanas contendente Carpz. p. 2. *const. 31. def. 1. Berlich. p. 2. con. 39. n. 15.* recepta hactenus necdum fuerit. Cum igitur quotidiana

consuetudine in Germania practicetur aestimandum est, generaliter totius Germaniæ, ac omnium ferè locorum consuetudine jus retractus receptum fuisse.

Illud addimus, Palatum Lauren. cum alijs communiter ut certum affirmare parti innocenti etiam in permutatione jus retractus competere, si constat ac probari possit, dolose ac in fraudem consortis permutationem potius quam venditionem rei communis institutam fuisse. Unde circumstantiæ, in quibus hac permutatio facta est, erunt examinandæ, ut decidatur, an jus retractus uxori ac filix defuncti Martini competat.



CASUS XXIV.

De Lusu Religiosorum.

Quidam Religiosus ex ordine A. tempore Vacationum autumnalium divertens ad celeberrimum quoddam alterius cujusdam ordinis Monasterium ab hujus R. R. Patribus ad ludum chartarum invitatus fuerat, renuit ab initio diutius Religiosus hospes, eo quod optime novisset, se semper ob suam in ludendo infelicitatem ad magnam iram commoveri. instant tamen acrius Religiosi domestici, & vix non hospitem invitum ad ludum chartarum compellunt, continuandum ad certas horas, queis finitibus